



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118456**

§. 91. Veronna a Liviano cincta, & soluta obsidio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

muri hi atum inopino hoc cuniculo patefactum irruperunt, ac Cæsareos milites A. C. 1513. præfidiarios una omnes jugularunt.

§. XCI.

*Veronna a Liviano cincta, & soluta  
obsidio.*

Livianus prospero hoc successu animatus, copias suas Veronnam usque adducere constituit, urbis obsidionem tentaturus, quæ quamvis tribus equitum millibus, totidemque peditibus Germanis munita esset, eamque Rocandolphus tueretur, Livianus tamen hæc minime moratus, cunctis majoribus tormentis uni suggestui impositis, viginti quatuor horarum spatio ingentem muris labem intulit, moxque equitibus suis, equo descendere jussis, cuncta ad irruptionem disposuit. Verum mutato repente consilio, obsidionem solvit, quam tamen paucis post horis denuo urgere incipiens, impigro conatu in urbem impressionem fecit; cum autem ipsem Rocandolphus cum ter mille quingentis Germanis oppugnantium impetum propulsaret, ac Venetorum, si qui proprius accederent, audaciam aut vulnere aut morte plesteret, Livianus hujus Belliducis fortitudine territus assultum interruptus, ac secunda jam

Kk 5

vice

Sæcul. XVI. vice urbis obsidionem solvit, nemine ta-  
A.C. 1513. men fugitivum insequente.

## §. XCII.

*Cardonna Neapolis Prorex in Low-  
gobardiam movens.*

Bemb. l. 3 ep. 19. § 1.6. *Hæc postrema fuere Liviani in urbem molimina, eoquod Cardonna sollicitante Maximiliano Sfortia, eidem magnis itineribus instaret. Evidem Prorex hucusque neutrius partis studio addictus videri cupiebat, verum Gallis vix Genua pulsis mox sua obsequia Cæsari palam exhibebat, ac Brixiam, Bergomumque occupabat. Demum Piscaria urbe ac arce recuperata, Veronnam venit, ubi Germano militi, qui rescissis induciis in Forojuliensi Provincia bellabat, suas quoque copias adjunxit, simulque continuato victoriæ cursu Lignanum armis suis subjiciens, Montagnæ castra metatus est, abs dubio Patavium quoque, & Tarvisium expugnaturus, nisi Livianus obstisset: Hic enim, cum totam belli mollem Continentis ditionibus impendere prospiceret, cunctasque urbes hostium furori eripi posse desperaret, nonnisi tres potissimas urbes Patavium, Tarvisium, & Cremam collectis viribus tueri constituit.*

## §. XCIII.